

Salernitanus, et honoris montis sancti Angeli Dominus, universis Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Obtutus regii consideratio speculativa provide deliberationis statera pensans merita singulorum, illos praecipue tenetur attollere favoris regio praemio potiori, qui a primaevae pueritiae suae temporibus, in domo regiae celsitudinis, sicut ut aliis, sic virtutum meruerunt recipere incrementa, et quodammodo per gradus gratuita donationis conscendentes, pro coronae regalis honore se variis exponere periculorum generibus nullatenus formidarunt. Considerantes itaque inter virtuosa virtute eximia et constantium numero potissima constantia, magnif. virum Stephanum Wayvodam Transylvaniae et Comitem de Zonuk, virum utique nobilem, refulgere, nimirum cum nostrae menti inelabilis sinceritatis suae impressio quodam sigillari stigmate se offerat et exponat, cogimur non immerito magnificis ipsius gestis recensitis, quae diversis necessitatibus urgentibus pro regno et regali corona exercuit, ad perpetuam gestorum memoriam, ne succensivi obscurerentur rubigine temporis, ipsius servitia enarrare. Et licet prolixum esset eadem prae multitudine per singula recitare, ut tamen ea, quae nec aemula lividitas, nec livida aemulatio celare posset, per nos non celentur, qui sicut ad vindictam malorum, sic ad laudem bonorum, regium diadema noscitur divinitus assecuti, servitia ipsius, quae praesentibus paulo inferius annotantur, exprimi iussimus nominatim. Primo siquidem, cum Serenissimus Princeps Dominus Andreas, inclitus rex dictorum Jerusalem et Siciliae regnorum, germanus frater noster dulcissimus, adolescens innocens, agnus immaculatus, Deo et sanctae Ecclesiae devotus, hominibus gratosus et placidus, ac multis virtutibus perfulgens, per acerbae mortis excidium, per occultos proditores, ausu nephario et detestabili, Dei et hominum timore postposito, in ipso regno Siciliae, in civitate Aversa, quae potius fuisset subversa, extitisset immolatus et nequiter iugulatus; nos tanti regis, fratris nostri, crudelissima morte, quae medullam nostri cordis dira passione amarissime lacerabat, condolentes, sententia de throno Dei prodeunte, et virtute altissimi rectum iudicium sperante, ad eiusdem regis, fratris nostri, iniuriam visibiliter vindicandam, assumptis nobiscum ipso Stephano Wayvoda et aliis regni nostri Baronibus et militibus, versus Italiam feliciter accessimus, et quosdam in praemissa interemptione fratris nostri culpabiles, ex certa informatione, repertos poena debita condemnando, remeavimus in regnum nostrum Hungariae memoratum. Denique quia propter dictum nostrum de dicto regno nostro Siciliae discessum, Joanna et Ludovico de Tarento marito eiusdem, capitalibus inimicis nostris, cum eorum gentis multitudine, ipsum regnum nostrum Siciliae invadentibus, satagentibusque nonnullis aliis nostri fratris diadematis inimicis, nec non proditoribus et rebellibus sacrae regiae maiestatis nostrae, ipsum regnum nostrum diversimode extiterat lacescitum, quam pluribus ipsius regni nostri magnatibus et civitatibus a fide nostra, in contemptum regii honoris nostri et coronae contumeliam segregatis; ideo volentes et animo cupientes huic miserabili regno nostro Siciliae de remedio providere oportuno, ne per ipsos nostros capitales inimicos, aemulos et rebelles, regni nostri praedatores fideles nostri opprimantur, praefatum magnificum virum Stephanum Wayvodam Transylvaniae, Consiliarium et familiarem nostrum dilectum, qui glorioso Principi D. Carolo, genitori nostro carissimo, scepra regiminis dicti regni Hungariae, in memoria felici importante, a primaevae pueritiae suae temporibus, et per consequens nobis ad tro-